



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Leges Ecclesiasticae Alvredi Regis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

LEGES ECCLESIASTICÆ  
ALVREDI REGIS.

I.

In primis, quod maxime necessarium est, cuicumque fidelium fidem & iuramentum suum, multa, vt conuenit, obseruantia custodire. Si quis tamen ad alterutrum cogatur iniuste, vel ad proditionem domini, vel iniustum aliquod adiutorium, rectius est hoc ementiri quam implere. Si quis autem vadiet quod fieri iustum sit, & transgrediat, committat arma sua & pecuniam amicis suis in custodiam, & sit quadraginta noctibus in carcere ad mansiorem regiam, & pœniteat ibi secundum iussionem episcopi sui, & parentes eius pascant eum, si ipse victum non habeat. Si parentes non habeat aut cibum, præpositus regis procuret eum: & si cogi oporteat, & aliter nolit; Si ligetur, perdat arma sua cum tota pecunia sua. Si occidatur, inultus iaceat. Si aufugerit ante terminum, & item capiatur, sit quadraginta noctibus in carcere, vt ante debuerat. Si amittatur, sit \* forbannitus, & excommunicatus ab omnibus Christi ecclesiis. Si tunc aliquis plegius interfit, emendet infractionem plegii, sicut rectum edocebit, & infracturam vadii secundum pœnitentiæ censuram.

II.

Si quis ad ecclesiæ mansionem pro quacumque culpa confugiat, quæ ad firmam regis \* non pertineat, vel alteri commodo deseruiat, & venialis sit, habeat \* trium noctium terminum cauendi sibi, nisi reconciliari quæsierit. Si quis \* in hunc terminum malignauerit \* eum vinculis aut verberibus, emendet secundum eorum rectitudinem patriæ, vvera, v vita, & ecclesiæ ministris centum viginti solidos, pro infractione pacis.

III.

Si quis † plegium regis infringat, emendet inculpationem, sicut rectum est, & infractionem plegii 5. libris Merciorum denariorum. archiepiscopi † *Borbbrice* siue † *Mundbrice* emendetur 3. libris: aliorum episcoporum vel comitum, 2. libris.

IV.

Item statuimus omni ecclesiæ dedicatæ, pacem habeat.

\* E. foris-  
bannitus

\* deest  
non  
\* tres noc-  
tes

\* infra  
\* ci

† Fidei ius-  
sionem datam.

† Fidei ius-  
sio.  
† Pacis vio-  
latio.

Si quis factiosus incurrat, vel ad eam confugiat, nullus eum septem diebus contingat vel extrahat. Si quis hoc præsumat, culpabilis sit infractionis regie pacis & ecclesie: & amplius, si forisfaciat; amplius, si pro fame viuere possit, si non, \* in prælietur. Si æditui maius opus habeant \* ecclesie sue, custodiant eum in alia domo quæ non habeat plura ostia quam ecclesia, & caueat ipsius ecclesie senior ne interim reum pascant. Si inimicis suis arma sua reddiderit, & se dederit, seruetur triginta noctibus, & parentibus & amicis suis \* offeratur.

Item qui ad ecclesiam confugiet pro quacumque culpa quæ non \* propalata sit, & eam in nomine Domini gratis \* confitetur, dimidium forisfacti condonetur ei.

## V.

Qui furatur die dominica vel in sancto natali, vel in pascha, vel \* in ascensione Domini, in quolibet eorum volumus dupliciter emendandum sit, sicut in quadagesimali ieiunio.

## VI.

Si quis in ecclesia furetur aliquid, restituat hoc semel, & forisfactum sicut ad angildum pertinet: & amputetur ei manus de qua furatus [ est. ] Si manum redimere velit, & hoc ei permittatur, componat sicut ad vveram eius pertinebit.

## VII.

Si quis sanctimoniam ab ecclesia duxerit sine licentia regis aut episcopi, det centum viginti solidos, dimidium regi, dimidium episcopo, & ipsius ecclesie domino cuius monacha fuit. Si ipsa diutius viuat quam qui eam abduxit, nihil de pecunia eius habeat. Si infantem procreauerint, nihil inde habeat infans, sicut nec mater eius. Si puer eorum occidatur, habeat partem rex maternæ cognationis, parentes patris partem suam habeant.

## VIII.

Si quis fornicetur cum vxore hominis † *Tvvelshindes* emendet ipse marito 120. solidis: homini † *Sexhindo* 100. solidis, † *cyrlicco* 60. solidis emendet, & hoc in viuenti † capitali componatur, & nemo vendatur pro eo.

## IX.

Si quis \* cyrlisæ femine pectus apprehendat, 5. solidis \* pagana

† qui 1200.  
æstimatur.  
† qui 600.  
† pagano.  
† pecude.

emendetur ei. Si supinet eam, nec tamen concumbat cum ea, decem solidis emendet. Si concubuerit, sexaginta solidis emendet ei. Si aliquis cum ea iacuerit antea, sit emendato medietas hoc. Si accusetur inde, \* adlegiet se per sexaginta hydas, vel dimidium emendationis amittat. Si hoc in nobiliori oriunda muliere contigerit, crescat emendatio sicut eius natalis ingenuitas erat.

X.

Si quis coram archiepiscopo pugnet, vel arma extrahat, emendet 130. solidis. Si coram alio episcopo vel aldermanno faciat, 120. solidis emendetur.

XI.

Si quis nunnam causa fornicationis in vestes aut in sinum sine licentia comprehendat, sit hoc duplo emendabile, sicut ante simpliciter de laica decreuimus.

XII.

Si quis alterius monacho pecuniam commendauit sine licentia domini ipsius monachi, & amittatur, nihil inde recipiat qui commisit ei.

XIII.

Si presbyter hominem occidat, capiatur, & totum unde sibi mansionem emerat: & exordinet eum episcopus, & ab ecclesia reddatur, nisi dominus suus componere velit veram eius.

XIV.

Si quis ceorlus mancipium ad violentum concubitum comminetur, emendet ipsi ceorlo, id est rustico, 5. solidis & sexaginta solidis vvitæ.

XV.

Si seruus seruam cogat ad violentiam perferendam, castretur.

XVI.

Si quis alii Dei plegium intentet [*id est, eum criminetur qui Deo se obstrinxerit in famulatum*] & compellare velit quod ei aliquod eorum non compleuerit, periuret hoc in quatuor ecclesiis; & si alius se purgare velit, in duodecim ecclesiis hoc faciat.

XVII.

Regis *Burghbreche* [*id est, pacis in regio burgo violatio*] est centum viginti solidorum. [*in Burgo*] archiepiscopi, 90.

solidorum, episcopi & aldermanni quem Latine comitem vel seniore[m] dicunt, 60. solidorum: *Truvelshindi* [ *id est, eius qui 120. solidis aestimatur* ] 30. solidorum: *Sexhindi* hominis, 15. solidorum.

## XVIII.

Ceorli ederbrece, id est, rustici sepis fractio 5. solidis emendetur. Si horum aliquid eueniat quando exercitus foris est, vel in quadragesimali ieiunio, sit dupliciter emendandum.

## XIX.

Si quis in quadragesima sanctum velum in populo sine recto deponat, emendet 120. solidis.

## XX.

Omnibus liberis hominibus dies isti condonati sunt, præter seruos & pauperes operarios: 12. dies in sancto natali Domini, & dies in qua Dominus Iesus de diabolo triumphauit: & sancti Gregorii memorialis dies, & septem dies in pascha, & septem supra; & vnus dies in festo apostolorum Petri & Pauli: & in Augusto plena hebdomada ante festum sanctæ Mariæ, & in omnium sanctorum ueneratione, id est, dies; & quatuor dies Mercurii in 4. legitimis ieiuniis, seruis omnibus indulti sunt dare cui magis uoluerint; vel qui eis pro nomine Domini aliquid benefecerint, vel ipsi deseruire potuerint in aliqua portione vicis suæ.

---

**LEGES ECCLESIASTICÆ**

AB ALVREDO MAGNO REGE ANGLORVM,  
& Guthurno rege Anglodanorum in Concilio quo factus inierunt sancitæ.

Desiderantur in Lambardi *δεξαωνομια*, sed hic addidimus ex historia Iornalensi seu Iernalensi manuscripto.

## TITVLI LEGVM ECCLESIASTICARVM.

- |  |  |
|--|--|
| I. De dilectione Dei & pace ecclesie. Ll. Sax. cap. 1.                         | bus. Ll. Sax. cap. 3.  |
| II. De negligentibus legem Christi & paganismum uenerantibus. Ll. Sax. cap. 2. | IV. De presbyteris falso pronuntiantibus festum vel ieiunium. Ll. Sax. cap. 3. |
| III. De ordinatis male uiuentibus. Ll. Sax. cap. 3.                            | V. De presbyteris rectis terminis chrisma non perquirentibus, vel              |